

1700
1701
1702



Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines across the page.



Catalogus

- 1/ Princeps Legibus Humanis,
sed non Divinis solutus,
J.B. Franc. Budæus, Halæ.
1695.
- 2/ De Personis Egregiis, earumque
Jurebus Hens. Hildebrand
Altorf. 1693.
- 3/ Geistl. Memorien = Rych
L. G. Hilffstung 7.
J. Philipp. Müller Jena
1699
- 4/ Ob einer Tuberrisse Abtissin
in Faulstand, J. G. Frögen
H. Hönn. Hens. Gautber
Bulemanius H. frax Just
an Megn. 1692
- 5/ De Fero Illustris Filij Delin
quentis. Johann Klein
Rostock. 1697.



- 6/ De Privilegiis Studiosorum
ex Auth. Abbat. C. ne filius pro
Patre. Lucas Beckmann
Witteberga 1702
- 7/ De Sumptibus Studiosorum
Johann Boepferus. Franck.
ad Viad. 1687.
- 8/ Apostasia Studiosorum
J. S. Witte. Altdorf. 1679
- 9/ Oratio de Studiosi Elegan-
tia. Herm. Woz. de Stadt
Helmut. 1701.
- 10/ Oratio de Bono Academi-
co. Christoph. Henr. Ritmeyer
Helmut.
- 11/ Moralitas Graduum Acad-
emicorum. Franc. Albert
Appianus. Rostrob. 1702

- 12 / De Magisterio y Brandy
 Henr. Oebardi Cryptist.
 1695.
- 13 / Positiones Juridicae de Do-
 ctore Jure Bullato, Mr.
 Marbach. Argentor. 1695.
- 14 / De Characteribus boni Docto-
 ris J. B. Henr. Acker
 Jena. 1705.
- 15 / De Causis cur nonnulli Cruditi
 si nihil in lucem emisissent.
 Frid. Will. Bierling
 Rintzel. 1702.
- 16 / De Privilegiis Pauperum
 J. B. Volk. Beckmann Jena.
 1668.
- 17 / De Jure circa Furiosos &
 J. B. J. J. Panberus
 Altdorf. 1703.



18 / De Locis Fundorum, Carp.
Henr. Hornius Wittenb. 1693

19 / Utrum et quousq. Sindi ac Mu-
ti Feudorum sint capaces?
J. Henr. Berger. Lipsia
1707

20 / De Officio Auditoris. Hartz.
Leon. Schwendendorff,
Lipsia. 1690.

21 / De Jure Fidei, Diss. Haug;
Wilhelm. Miczgori,
Hardenbergi 1710.

22 / De Decretoribus s. Delito-
ribus non solvendo existen-
tibus vulgo Banquerottic-
ren, Georg. Wernerus
Helmstadt 1703.

- 23) De Medici Officio, Dissert I.
Johann Bobnius Lips. 1697
24. 25. 26. Continuationes ejus-
dem Bobnij. Lipsia. 1697. 1699.
27. Microvellus Medicus seu
Ratio Status Medicorum
Anonymus Argent. 1698.
- 28) De Pseologo Pseudo-Me-
dico Georg Henricus
Goetsius Lipsia. 1700.
- 29) Homerus Medicus, Joannes
Brendelius Wittenb. 1700.
- 30) Superstitiosus Medicus, Au-
gust. Quirn. Rivinus
Lipsia. 1698.
- 31) Medicus Inculpatus, Deu
Rivinus Lipsia. 1699.

32 / De Medicamentis in securis
Frider. Hoffmann ; Hala

1713

33 / An Medicis impune occi-
dere liceat. Willb. Hab.
Waldfmiedt. Kilia. 1704.

34 / Medicina Forensis J.B.
Bodn. Lips. 1690.

35. 36 / Continuationes ejusdem
Bodnij Lips. 1690 1692

37 / Positionum Medico-fo-
rensium Enneac
Alban. Hermann Cam-
mus. Jena. 1654.

38 / De Vulnibus, Henr. Rud.
Redeker. Rostock. 1667.

39 / Synopsis Doctrina ac Medici-
cina Vulnerum Wittenb. 1673.



- 40 De Vulnere Lettali Iustus
Henr. Mangold Rintbelij
1701.
41. Henricus Meibomius de
Vulncribus Lettalicis,
Helmst. 1694.
42. De Vulneratione Lettali
Frider. Philippus Lippice.
1684.
43. De Fundamentis Lettalicis
Vulnrum. Georg Wolff.
Wedelius Jena. 1695.
- 44 De Vulnere Capitis, Fre-
naus Febr. Francof.
ad Oder. 1689.
45. De absoluta Lettalicitate Vul-
neris Arteria Magna
Franco. Henricus Merc-
meister Hala. 1694.

46. De Vulnerebus eorumq[ue] Symptomati-
tis. Print: Pater B. Wittenb. 1712
47. De Erroribus circa causas mor-
tis subita. W. Henr. Hen-
cherus Wittenb. 1703
48. De Efficacia Dierum Criti-
corum in Vulnerebus de Letali-
tate dubiis. Georg Wolff.
Wedelius. Jena 1712

No 29.

I. N. 7.

DE

MEDICI OFFICIO

DISSERTATIO PRIMA,

Quam

PRÆSIDE

JOHANNNE BOHNIO,

Med. Doct. & Prof. Publ.

Disquisitioni Philiatrorum exponet

M. JOH. CHRISTIANUS *Behmann*/

Budissin. Med. Baccal.

In Auditorio Majori

D. 12. Febr. 1697.

LIPSIÆ,

Literis FLEISCHERIANIS.



V I R O

*Nobilissimo, Amplissimo ac Experientissimo,
Domino,*

D O M I N O

SIGISMUNDO

GABRIELI OTTONI,

Serenissimorum Saxoniae Electorum

JOHANNIS GEORGII II. & III.

cum in vivis essent, Archiatro Gravissimo,

*Patri suo, omni honoris & amoris cultu
devenerando,*

Dissertationem hanc Academicam,

in filialis observantiae tesseram.

D. D.

Filius obsequentissimus

R E S P O N D E N S.





IN NOMINE JESU!

§. 1.



Officium Medici dum præsentis & futurarum Dissertationum argumentum intendo, præmonere congruum videbatur, me sub Officii notione non hoc, quod Scriptores Medici communiter Operam, Scopum & Finem medium seu *quo* Medicinæ ajunt, sanationem nempe, aut quod Officium *Valeriola* 1. loc. *comm.* 4. triplex, status nempe s. n. conservatorium, p. n. curatorium & neutralitatis præservatorium, vult: Sed potius, quod Ministerii rationem idem *Valeriola* l. a. Officium seu Munus 4. *Enarrat. med.* 10. pronunciat, id est, *quo se pro dignitate & ea, quam sustinet, persona gerere debeat*, vocat, & in quali sensu à multis moxque nominandis Autoribus hoc traditur, v. g. *Hippocrate, Botallo, Carrario &c.*

§. 2. Sc. ex vasti Corporis Hippocratici commentariis illi, qui *Isagogica, προλεγόμενα & τεχνικά* scripta sive ex recensione *Erotiani*, sive *Foesii*, dicuntur, quod Artem partim, partim Artificem, describant, duo imprimis in Medico genuino postulant, doctrinam nempe seu peritiam artis, & prudentiam seu decorum, quod aliàs œconomiam circa ægrotantem vocant: quorum prius eum præstat gnarum & artificiosum, alterum fiduciam seu opinionem ipsi penes ægros conciliat. Cujus quidem utriusque connubium in illo adeò necessarium observatur, ut, qui eorum



alterutro destitutus Medicinam facere audet, aut Medici imperiti, agyrtae, empirici &c. aut imprudentioris, nomine appelletur, vereque dignus sit. Hincque forsan, *ut ut*, annotante *Plinio 29. hist. natur. c. 1. nulli magis ac citius, quam Medicum se profitenti, credatur, est tamen in nullo mendacio periculum majus, quamvis illud per blandam illam sperandi dulcedinem, quae cuique pro se est, haud intueamur; quod ejusmodi homines nostris periculis discant, experimenta per mortes agant, ac animas nostras negotientur, & quales ex illis sunt, à quibus & eorum Medicina, advertente H. C. Agrippa, plus periculi, quam ab ipso morbo, est.*

§. 3. Peritia seu Scientia Medica, sive theoriam, sive praxin, spectes, quae complectatur, qua methodo & quibus instrumentis ac modo comparetur, passim & penes infiniti numeri Scriptores legimus; ut in utraque Artis hujus parte Medicum apprime illos instituisse, fatendum, subscribendum nihilominus etiam in hoc, sit *Roderico à Castro, Med. Polit. lib. 1. cap. 1. eos artis potius tantum praecepta, quam Medici perfecti seu genuini circumstantias, hactenus prosecutos, esse, i. e. de ipsius artificis prudentia generositateque (uno excepto, Hippocrate, qui pauca hac de rescripserat) perexiguam, aut ferè nullam, mentionem fecerint.*

§. 4. Vel, si forsan Doctores nonnulli, quos nominatus à *Castro* aut non perspexit, aut post hujus demum Commentarium scripsisse constat, nec hoc argumenti genus omnimode neglexerint, sive passim ac sparsim libris suis practicis hoc inferendo, sive sub determinatorum praceptorum seu legum systemate, quod *πρὸς αἰνὴν Hippocr. de orn. dec. ait*, exponendo, v. g. *J. C. Claud. de Ingressu ad Infirm. Zacutus Lusit. in Introit. Medici ad prax. Botallus de Munere medici & agri, Valeriola in Enarrat. & Loc. comm. 1. a. Seidelius de Morbis incurabil. Zacchias Quaest. Med. Legal. Septalius*
ani-

animadvers. & caution. med. l. 1. Freitagius Noct. med. Rejes Elys. camp. jucund. questio. Boudevvyns seu Balduin, in Ventilabro Med. Theol. & J. Bernier Essais de Medecine, quibus ex Jctis jungere licebit Vincent. Carrarium de Medico & illius circa egros officio. Abasv. Fritschium de Medico - Peccante, ac denique ex Theologis Hier. Bardum in Medic. sacra seu cathol. polit. & Maximil. Sandeum in Theolog. Medica: meo tamen iudicio, aut per brevitatem nimiam negotium hoc imperfectius reliquerunt, aut prolixitate & farragine casuum minus concinna tædiosum reddiderunt; utraque tamen ratione occasionem concesserunt, studiosius in illud inquirendi, quam in præsentiarum apprehendere volui.

§. 5. Quæ eruditum seu artificiosum præstant Medicum, innuit, præter cæteros, ex Hippocratis & Galeni textibus diversis *Valeriola loc. comm. & Enarr. med. l. a.* dum eum *rerum nature scientissimum cultorem, Nature in universum ministrum, malorum depulsorem fidumque sanitatis custodem* describit. Calleat sc. juxta Lingvarum & Disciplinarum Philosophicarum cognitionem cunctas Medicinæ partes, tam proprias, quam transumptas, prout quidem à *Petro Castello in Optimo Medico* aliisque enarrantur, & ratione pariter ac experientia suffulciuntur. Qualem doctrinam sibi comparabit primo lucubratione propria, seu evolutione autorum selectiorum, quos v. g. *Conringius in introduct. in art. med.* hujusque Scholiastes strenuus, *Celeberrimus Schelhammerus, Johann. Ant. van der Linden in Manu duct. ad medic. &c.* recensent, & quales quælibet fere dies hucusque promit: hinc ex auditu, seu internunciis & interpretibus Doctoribus atque Præceptoribus vivis, modò tales, quales idem *Lindannus l. a.* præcatur, i. e. *doctos ac fideles* inveniat tyro; qui partim illorum Commentato-



rum mentes dilucident, partim per observationes & episcrisin suas confirment aut refutent: Quibus tertio accedunt operationes ac tentamina anatomica & chymica frequentiora, una cum experimentis physicis & mechanicis; doctrinam haustam firmantia ac errores ostendentia: & denique Exercitatio practica.

§. 6. Per quam quidem Exercitationem non illam tantum intellectum cupio, quam idem *Lindanus* v.g. commendat, & per quam *Medicina Candidatus praxi preparatur, perinde ac miles pugna per lusoria certamina*: nimirum ut casus ægrotantium sibi fingat, ex his, aut ab aliis fictis ac relatis, affectus ideam, hujus causas, subjectum, sin minus evidens, rimetur, hincque prognosin & indicationes formet, atque remedia adæquata ex diæteticis, pharmaceuticis ac chirurgicis adaptet, secundum indicantium nempe ac indicatorum diversam habitudinem, & quasi ipsum ægrum tractet; hæc omnia in chartam conjiciendo & Magistri peritioris censuram super ea postulando, quod Exercitium seu Tentamen casuale vocant. Sed hanc insimul, quam *Sennertus method. disc. medic. Job. Rhodius in introd. ad Medic. Jac. Rosales in armatura med. Bartholom. Thurrianus Iatrobul. lib. 3. cap. 1. & Petr. Ramus in Oratione pro Reformatione Academiae Parisiensis*, tanquam Medicinæ partem alteram hæctenus neglectam, commendant. Quatenus nulla ars, juxta *Aristot. 2. ethic. 1. & Thurrian 1. a.* quamvis ejus præcepta penitus hausta fuerint, sine usu atque exercitatione aliquid laude dignum præstare valet, sed, ut in opus ipsa tota dirigatur, ita operando demum perfecta evadit, i. e. ea, que didicimus, dum efficitur, discimus, perinde ac Musicus canendo, Citharædus citharizando, Orator dicendo, Dux exercitum gubernando, pugnando &c. in arte sua demum proficiunt, ut hac consummata



mata pollere dicantur; sic Medicus medendi habitum solo exercitio sibi comparat, secus imparatus & anceps ubique hæret. Neque alia datur via, per quam ad praxin Medicam partemve Medicinæ curativam rectius pervenire possumus, nisi, post præcepta hausta, per Experientiam: dum, juxta Philosophos, ad cognitionem rerum singularium utilius est, se per experientiam exercere, ut Practici faciunt; quam mentem applicare indagatiõni causarum per scientiam, vel universalium contemplationem, quod Theoretici agunt.

§. 7. Est enim Experientia duplicis generis, historica seu mutuatitia, & sensualis magis seu propria: quarum illam à Majoribus & Prædecessoribus acquisitam habemus, à quibus exactissime & quoad singulas circumstantias observata & annotata exempla, sub Historiarum, Observationum, Casuum, Consiliorum, Curationumve titulo enarrantur, ut secundum illos casus nostros metiri & regere queamus ægros; adeoque non initiando solum, sed provectori quoque & experto magis in arte, valde proficua ac necessaria est. Quoniam variorum pathematum, horumque medelarum relationes genuinas & accuratiores tradit, ex quibus multorum pariter morborum & casuum rariorum notitiam sibi conciliat uterque: doctior seu peritus magis collatione cum propriis facta observatis experientiam suam confirmat & auget; tyro autem idoneus hinc evadit, ut tuto & audacter secundum observationes alienas agat, & suis infirmis illarum phænomena ac remedia applicet. Assiduo proin studio & frequentius Historias & Observationes Medicorum volvere atque revolvere convenit, quo his junior imprimis artifex instructus promptior evadat, & in curationibus suis quasi totidem Archiatros Collegas ac Consultatores habeat: perinde



de ac ipsum Hippocratem egisse, *Vallesius in comment. de morb. popular. p̄fat.* asserit.

§. 8. Hæc tamen Experientia quia ad lucubrationes & lectiones autorum spectat, proprium potius hujus loci facio, non illam, quam plurium annorum praxi & ex multijugibus demum experimentis propriis sibi quilibet comparat: qua quod frequentius v. g. in hoc vel illo affectu prodesse deprehendit, memoriæ ac schedis tradit, quod Empirici veteres *Præceptum artis fidele* appellabant: utpote qualem in Novitio concipere haud datur, sed Veteranorum peculium esse, sana ratio dicitur. Neque eam, quam Clinicus junior solus & proprio Marte, seu temerario potius ausu, tentaret, utpote quæ periculo ægrotantium nunquam expers foret, fierentque experimenta, ut *Plinius loquitur, per mortes aliorum*, germ. *Junge Medici neue Kirch-Höffe*: dum per experientiam artem, quam nondum tenet, addiscere tunc annitur, cum se Medicum jamdum profitetur; atque sic sceleratissime fallit miseros, quibus se Medicum exhibet ac obtrudit, artis nimirum adhuc ignarus; de corio & vita humana, quasi re minoris momenti sub cæco fortunæ directorio ludens. Vel similes hi sunt empirico illi Ophthalmico, penes *Freitagium Noct. med. c. 5.* qui, cum non infeliciter acu aliquot suffusione laborantium oculos punxisset, rogatus, quomodo Chirurgiam hanc adeò accurate didicisset, respondit, se, priusquam modum operationem hanc ritè perficendi cognoverit, vel pileum plenum, tentando & experiundo punctiōnem hanc, oculorum effodisse.

§. 9. Sed hanc imprimis Filiis artis exercitationem commendo, quæ in visitandis, sub comitatu & manu ductione Præceptorum & Practicorum experientiæ magis consummata, ægrotantibus consistit: quorum lateribus
illi

illi juncti naturæ ac remediorũ effectus & eventus morbo-
rum inter ipsas operas notant, sicque experimenta faci-
unt, ægro sibi que salubria; sibi relictæ, aut sine Medici pe-
ritioris directorio aut nulla, aut minùs congrua, imò fune-
sta, unde demum pravus contrahitur habitus, perinde ac in
musica & aliis artibus evidentissimum est. Eo ipso quippe
dum ars medicatrix latebris sinuosis abdita est, præmon-
stratore opus habet, qui inexpertum doceat, donec habi-
tu, ut ajunt, judicativo seu discretivo acquisito idem simi-
lia sponte promptius intelligat, neque fallax maneat sem-
per experientia propria. Qualis, quo major & maturior
evadit, firmitus & perspicacius efficit judicium, possessori
quoque suo plus quotidie peritiæ conciliat: unde Medi-
cus, quo senior & expertus magis, eò doctior & ad meden-
dum aptior; dummodo memoria firmiter retineat à se re-
ctè experta.

§. 10. De modo & ratione ejusmodi exercitiorum
medicorum penes Autores vix aliquid invenies, nisi quæ
B. Thurrianus l. a. confuse satis tradit, ad tria tamen forsitan
capita reduci valent, Operæ nimirum Medici peritioris
observationem, studium seu hujus contemplationem, ac
denique cum moderamine congruo imitationem: quo-
rum requisitorum si alterutrum defuerit, irrita atque im-
perfecta erit exercitatio, imò prava ac damnosa. Et per
consequens male sibi consulunt, qui Medici juniores, sine
peritioris consilio ac directorio, medicinam mox face-
re audent: sed pejus adhuc consulitur ægris, qui talibus
inexercitatis utuntur. Quemadmodum legibus pariter
publicis cautum est, & in specie Facultatis Nostræ Statuta
jubent, ut Licentiandus Artis, post studia maturiora cum
uno pluribusque Doctoribus praxi aliquandiu interfuerit:
adstipulante *Perezio ad Tit. C. de Profess. & Medic. n. 21.* qui

B

nec



nec Doctores examinatos & renunciatos in ordinem Medicorum civitatis admitti vult, nisi sub Archiatro quodam experientissimo praxin prius exercuerint.

§. II. Liceat mihi exercitationis hujus occasionem dispescere in privatam & publicam: ut prior sit, qua Medicus Senior initiandos lectulis infirmorum, privatae curae concreditorum, adducit, eos de affectus phaenomenis admonet, causas explicat, remedia indigitat &c. sive per modum quaestionum, seu quacunque methodo hoc agat. Publicam vero concedant Xenodochia publica, in quibus, omni rerum necessariorum instructis autoritate & sumptibus publicis non tantum alantur & curentur tot infirmi, sed Medici horum ordinarii, & inter hos Professores, discentium etiam curam gerant, in horum corona grabatos illorum visitando, affectus p. n. declarando, horum prognosin formando ac medelam adornando, de singulis vero cum iis differendo; uno verbo per horum calamitatem illorum studia firmando, sicque privatae aequae ac publicae saluti prospiciendo.

§. 12. Qualis Nosodochiorum frequentia insimul etiam hoc emolumentum rei Medicae praestat, ut in iis viscera denatorum morbida scrutari hincque nosologias genuinas formare liceat, quod Anatomem practicam vocant; cuius, scribente *Carolo Offredo*, Medico Patavino, in *Epistola ad Bonnetum*, mirandi sunt usus, nec satis extolli queunt, quod ex *Natura libro colligantur*, quae errare nequit; dum hac ratione morborum sedes & causas quasi manibus palpate ac oculis discernere datur, adeoque eorundem causa sicut evidentior, ita & medela felicior succedit. Si nimirum, consilio *Varronis*, rationem, non aleam, in imitatione & experientia sequamur.

§. 13. Habet quippe haec Anatomie illud adhuc ambigui-



biguitatis, ut, quamvis Prosectoribus illa phænomena præternaturalia, quæ affectus funesti extiterunt genitores, frequentius manifestet, aliquando nihilominus dubios relinquat eosdem, an illa semper tales, & forsan non productum morbosum, fuerint, v. g. viscerum dyscrasia, & compages seu textura vitiosa colluviei hydropicæ, quam hujus causam credidisset imprudentior: quale quid in specie de Epatis corruptione & Polypis, qui in ventriculis & vasis cordis majoribus occurrunt, *Kerckring. Spicil. anat. obs. 77.* monet. Cui accedit, quod *Glissonius de Rachitid. cap. 2.* annotavit, *Morbos ferè omnes tractu temporis alios diversi generis sibi adsciscere, ideoque chronicos plerumque ante obitum esse complicatos.* Ne E. putet Lector, quicquid in defunctis corporibus, ab hoc morbo (Rachitide) extinctis, p. n. reperitur, ad hunc affectum necessario pertinere, forte etiam magis id alium morbum, huic ante mortem supervenientem, quam hunc ipsum, respiciat. Et profectò Anatomici frequenter in suis observationibus lapsi sunt, dum, quæ ad alium morbum spectant, alteri, cum quo ante obitum complicatus erat, adscripserunt. De cætero, præter *Tb. Bartholinum anat. pract.* frequentiora testantur morbis defunctorum extispicia, in uno horum cadavere simul diversa viscera male se habere: ut dubia hinc maneat mens, utri horum fatalia symptomata sint assignanda. Quemadmodum pariter nec omnium affectuum p. n. vestigia in cadaveribus oculis evidentiæ fiunt, sc. spirituum, humorum & forsan aliquando partium solidarum quoque, utpote quarum nec posteriorum anomaliam semper æque sensibiles existunt, v. g. observante *Celso præfat. lib. 1.* earum color, soliditas, figura, situs, it. pororum ac fibrarum laxitas, strictura, seu tensio, subsidencia, contorsio &c. p. n. Atque hoc quidem ob varias (annotante *Bonneto præfat. ad Sepulchret.*) quæ, extincto,



aut ad interitum vergente, motu vitali, accidunt in corporibus mutationes: ut *nihil quicquam stultius asserat idem, Celsus, quam, quale quid vivo homine est, tale existimare esse moriente, imò jamdum mortuo.* In specie huc referre quadrat, quod *Ballonius 3. consil. 71.* circa capitis affectus, *Volcb. Coiter obs. anat. chir. & Bartholinus l. a.* de Epilepsia memorant, ab his consumptorum capita vix unquam aliquid commemorabile indagatoribus solertissimis exhibere; in quibus nihilominus incautior ætiologus aut abscessum, aut ferum pituitosum, vermes, apostema, aut simile quid reperturum iri asseverasset: item quod commotio cerebri haud cruenta, lethalis tamen, autopsiæ minus pateat. Spes nempe augurantium ipsa inspectio fallit, & eorum fiducia atque expectatio in stuporem vertitur, ac si cum ipsa anima mortis occasio evolasset. Ut taceam denique, ejusmodi interdum in cadaveribus deprehendi interaneorum à statu naturali recessus, de quorum symptomatis vivi nunquam conquerebantur, quosque in iis nec accuratior diagnosi hariolari poterat. Ita memini, me pulmonum compagem sæpius solidiorem justo, glandulosam, item pleuræ ac costis enormiter & undique adnatam, vidisse, homine superstite nunquam tussi, dyspnœa similive thoracico pathemate afflicto, imò ad cursus, cantus similesve motus quam agili, quemadmodum superioribus demum mensibus in puero cachectico & hectico, qui sine ullis nihilominus pnevmonicis symptomatis obierat, pulmones valde suppuratos me deprehendisse recordor. Calculos frequentius exhibent cadavera illorum, qui vivi nullam unquam dysuriam, ischuriam, lumborum ac ingvinum dolorem, nauseam, vomitum similiave pathemata nephritica experiebantur: sicut ex Amicicalculosi, quem nephriticum omnes judicabant, in quo tamen nullum unquam per totidem



diem annos, quot diris admodum symptomatis crucieba-
tur, calculi vesicæ signum, ut ut in hæc frequentius inqui-
reretur, comparuit, post diurnos demum circa lumbos
& tandem in ingvine dextro cruciatus diros, nullos in re-
gione hypogastrica, defuncti, vesica urinaria præter lapi-
des renales diversæ molis, calculum ponderis aliquot un-
ciarum protraxi.

§. 14. Ast in Germania, imprimis Saxonia, nostra
exercitamenta ejusmodi pernecessaria Philiatris inani for-
san conatu svadere videor: ubi profecto difficiles admo-
dum sunt decumbentes in admittendis cum Medico ordi-
nario discendi cupidos, *wollen nicht an sich lernen lassen*: ne-
que ulli Medicorum clinicorum, majoris quamvis autori-
tatis ac fiducia, svasor essem, ut pedissequos hujus causa
adduceret tyrones, & cum his ejusmodi, publico licet ma-
ximè proficua, circa ægros institueret tentamina. Multo
minus nobis & nostris patent Nosocomia publica, quæ vi-
sendis ægris & defunctorum extispicio occasionem præ-
stent: neque talis forsan unquam in Germaniæ civitatibus
speranda erit, si Viennam, Hamburgum & Argentoratum
excipias, populosioribus & instructissimis Xenodochiis,
gaudentes, quorum alumni vivi praxeos, mortui anato-
mes, exercitio, moderantibus Medicis insignis peritiei,
quotidie subjiciuntur.

§. 15. Abundant & luxuriant vero his Belgium,
Gallia, Anglia, Italia, magnis sumptibus & splendidior
apparatu extructis & enutritis, v. g. Lutetiæ Parisiorum,
Lugduni Gallorum & Batavorum, quorum Leidense *Kype-
rus meth. disc. & exerc. med.* non injuste pluribus aliis præ-
fert, Ultrajecti ad Rhenum, Paduæ, Florentiæ, Romæ, mi-
serorum infinitorum perinde salutis, ac artis Medicæ incre-
mento, sacrata. Adeo ut, si vel aliquid ad peregrinatio-



nes Philiatros urgeat, hæc nostrarum Civitatum & Academi-
miarum penuria sit, quam exteri largius compensant. I-
mo tantum indulget Professoribus v. g. Patavinis horum-
que Consiliariis, autoritas publica, ut ex Nosodochiis non-
modo publicis, sed ædibus quoque privatis, minorum,
nempe gentium, ipsis sectionum adornandarum gratia
petere liceat defunctorum exuvias: quamvis armata de-
mum ut plurimum manu hæc spolia reportent. Hafniæ
parem oportunitatem quondam, venia superiorum, ca-
ptare annitebatur *Tb. Bartholinus*, quam nihilominus post-
modum, anicularum diris & imprecationibus deterritus,
negligebat idem. Nos publica æque concessione ac pri-
vatorum conniventia destituimur, & rarissime demum
nobis, pro morbis reconditis horumque causis indagandis,
aperiendi corpora copia fit: E. nec hanc Nostris penes
nos autopsiam promittere valemus Philiatris; hinc ut ali-
unde Exercitationem practicam æque ac anatomico-pra-
cticam sibi conquirant, svademus.

§. 16. *Guido Patin lettre 64.* equidem, simplicitati
gentis innocuæ illudens Germanos peculiari affectus p. n.
genere laborare ait, quem *Perigronomaniam* appellat, quaq;
extra patriam curiosius quam fructuosius ferantur illi: &
profecto non sine ratione, quam præter me norunt pru-
dentiores, quiq; peregrinationibus suis olim factis non ad-
eo abblandiuntur, & de multis paradoxis, sive veris, sive
fictis, in his visis atque observatis, garrula lingua, glorian-
tur, nugantur. Verum denegata illa in patrio circulo
Exercitatio medica maximè urget exteras gentes, ubi hæc
conceditur, adire atque lustrare, i. e. aliunde petere, quod
nostra non fert tellus.

§. 17. Ac dum *VVigandus de Philiatr. German. Itiner.*
Dissert. 1. Praxin Medicam exterorum inter alia suspectam
red-



reddere fatagit his verbis: *Sed demus, has ad praxin manu-
ductiones florere hodiernum apud exteros, demus, famosos pra-
cticos, magna caterva discipulorum stipatos, frequentare a-
gros, dictitare casus, communicare methodum & formulas;
nego tamen & pernego, augeri inde & promoveri Philiatro-
rum Germanorum commodum & profectus, sed impediri a-
confundi, turbari, corrumpi. Sc. ubi peregrina methodo ad-
sueti juvenes domum redeunt, quid frequentius est, ut ea me-
thodo populares trucidentur, qua exteri convalere? &c. Ipsi
regerendum puto, superari facile posse à filio artis erudi-
to (rudiores & per studia solidiora minus præparatos exi-
mo) hanc difficultatem, modò secundum regulas artis
subjectorum diversitatem similesque circumstantias atten-
dat, & extra patriam observata concivibus suis applicare,
vel non applicare, moderari &c. discernat. Imprimis
cum non tantum de remediis ut talibus inveniendis, non
de indicationibus formandis, sed de modo etiam visitandi
ac tractandi ægros potissimum hic sermo sit. Ut taceam,
nec quævis exotica remedia nostratibus non æque quadra-
re, v. g. Sangvinis missiones Gallis frequentes atque salu-
tares, trepanationem calvariæ &c. de quorum posteriore
ut ut asserere non vereatur *idem Scriptor, se nunquam trepa-
num in Germania vidisse non infaustum.* Largior nempe,
Germanos, & multo magis Boreales gentes, non adeò fre-
quentes ac largas ferre venæsectiones, imprimis tenerio-
ris adhuc ætatis: experientia tamen (modò huic non præ-
valeat præjudicium) edocemur, nec pueros puellasve no-
strates ab hoc remedio generoso omnimode esse exclu-
dendos; & meticulositatem nostram in mittendo sangvi-
ne si Gallorum temeritate temperemus, forsàn hinc inde
affectuum graviorum certior obtingeret medela. Ut vel
Alsatorum ac Helvetiorum mos, quo quotannis aliquoti-
es,*



es, ac præservationis tantum gratia, ultra libram unam ac duas sibi detrahi curant sanguinem, sine ullo virium notabili dispendio, testatur. Et hoc ipso, dum, secundum eundem Autorem, in nostra Germania non una ubique methodus curandi obtineri valet, evincitur, hanc & medendi instrumenta à sagaciore, pro diversitate soli, atmosphæræ, victus, idiosyncrasia &c. commodè mutari posse: nisi ideo, Hippocratis, Galeni aliorumque, sive Græcorum, sive Barbarorum dogmata & in hæc Scholiastes atque Commentatores Italos, Gallos &c. quoque è scholis & praxi nostra exterminare velimus, quod Græciæ, Latii, Galliæ &c. incolis præprimis videantur consarcinata; ut mittam illa, quibus *in dissert. 2. & 3.* idem Autor prolixius solvit & declinat dubia, à se aliisque contra Philiatrorum nostrorum itinera mota.

§. 18. Nimirum jubet *in Lege Hippocrates*, ut, qui Medicinæ scientiam sibi verè comparare velit, locum ad disciplinam accommodet: qualis nihilominus alibi quoque, imò interdum magis, ac in patria, panditur, sc. ut, advertente *Bartholino de peregrin. med.* varietas ægrorum faciliorque horum inspectio habeatur. Sicut idem *Hippocrates de Medico*, illum, qui vulnerum chirurgiæ exactam peritiam desiderat, castra militum sequi suadet, sic enim exercitatum fieri eum posse ad ejusmodi usum ac necessitatem: qualem scientiam hoc tempore ex Italia, Gallia, Belgiove potissimum mutuantur nostrates; hincque nec Modioli applicationem similesve Chirurgias in Germanis adeo infastas experiuntur, ac *VVigandus* ille assererat.

§. 19. Quibus circa doctrinam ac peritiam Medici suppositis facile intelligere erit, quales *personatos tantum Medicos Hippocr. Leg.* pronunciet, i. e. quales *Vulgus, per ruditatem suam, pro Medicis habet, & ignorantes artem*
exer.

exercent, seu Medici fama quidem ac nomine, re autem & opere minus tales. Nempe imperitia ac peritia, ruditas & eruditio est, quæ Pseudo-Medicos à genuinis discernit: de quorum illis non nostrum tantum ævum, sed superiora quoque, v. g. Hippocratis, Galeni, olim tempora, conquerebantur, hominibus per imperitiam summam ad summam audaciam eVectis: quorum nomen *Tiraquellus de nobil. c. 31. n. 394.* non inepte ideo à medio derivat, quod per Medicos tales homines è medio tollantur; & quales illos Gallorum puto, de quibus olim Medicus quidam Lugdunensis eruditus ac peritus jocabatur, Regem Hispaniæ plus debere Medicis illius nationis, quam Præfectis ac Ducibus copiarum suarum cunctis, nimirum quod illi plus popularium suorum, seu Gallorum, trucident, quam hi horumque cohortes.

§. 20. Scatet ejusmodi Medicastrorum turba sub Ciarlatanorum seu Charlatanorum, i. e. erroneorum, circumforaneorum, agyrtarum, empiricorum &c. nomine, non Italia tantum, quæ ideo provincia seu Patria Ciarlatanorum audit, sed Anglia etiam, Belgium, Gallia &c. in specie metropolis hujus, Lutetia, in qua prodigiosum semper Medicastrorum confluxum post *Patinum Bernier Essais de med. 16.* & alibi testatur, ac prior *lettre 117.* occasione reformationis Notariorum, illum, qui Pharmacopœos, Procuratores, Prætores & Medicaistros, quibus Gallia abundet, reformaret, publicum sibi maxime devincturum pollicetur. Ast de Germania nostra haud iniquè vulgari proverbio factus est locus: *Plus esse medicastrorum in hac, quam muscarum sit in Armenia:* seu, prout non nemo Scriptorum ait, *Copia passim Medicorum (Medicastrorum) Germania ita fere obruitur, ut vel Medico opus sit, qui à Medicis illam purget;* vixque ullus terrarum angulus, qui non ab insectis his inquinetur. Quippe

C

Fin-



*Pingit se Medicum quivis idiota, Sacerdos,
Judeus, Monachus, Histrio, Rasor, Anus,
Miles, Mercator, Cerdo, Nutrix & Arator,
Lamia, Decoctor, Pharmacopola, Magus.*

§. 21. Qualem Pseudo-Medicorum multitudinem, fraudes & hinc Reipublicæ exitium post Rodericum, Episcopum Zamoracensem, in Speculo vitæ humanæ. Job. Hartmann Beyer in Nat. consult. Medic. Langius epist. 2. Camerar. memorab. med. cent. 1. part. 52. Freitag. noct. med. alique infiniti, & quidem posterior c. 3. innuunt his verbis: *Inter ceteros, quorum uberrima in gente nostra est annona, empiricos unus vel alter eminentissimi tanta impunitate, iis falsimoniis, fraudibus & imposturis, miserorumque homicidiis & cladibus artem medicam medicastræ flagitiosissimi, pauperum & simpliciorum medullam & sanguinem sorbentes, profitentur & fraudulenter exercent; atque id impune, impune, inquam, suggerentibus ipsis necessaria & colludentibus Pharmacopœis. Qualem, quaeso, dices esse Medicum, qui tot metamorphoses perpeffus, ut ex Sutore factus sit Balneator, ex Balneatore Caupo, ex Caupone Textor, ex Textore Coctor cerevisiarius, ex Coctore Magus (quo nomine aliquando in carcerem conjectus & vix à capitis sententia liberatus) ex Mago Medicus sc. & Impostor perdidissimus. Et porro: Ceterum eò res reducta est, ut è fece & sentina hominum perdidissimi ad restim ravinque, luxu, alea, scortillis aliisque inhonestis artibus redacti, hanc anchoram, hoc asylum (nulla siquidem est hujus sceleris passim locorum severa coërcitio) fidenter arripiant, eoque nefariè incalamitatem egrorum, fraudem Doctorum Medicorum & pestem Reipublicæ uti annitantur ac permittantur. Nullus tam stupidus Phormio est, vel Davus, qui frustra, omnibus vitæ tuendi rationibus tentatis, demum non profiteatur Medicinam. Dic, sodes, quis pagus adeatur, ubi vel ipse pastor, vel aditus*



aut faber, vetula, caupo aut sagi sageque medicinam non ex-
erceant? ut sileam innumeros Pseudo-Chirurgicos ibi passim
delitescentes: quis non sanguinarius Carnifex putatur esse
Medicus, quod facinorosos mactet?

§. 22. Atque hoc quidem audent Sociorum ejus-
modi plerique jure quasi possessionis & quod se Spartæ huic
idoneos satis æstument: ita quidem ut, si hujus injusti &
temerarii attentati admoneantur, injuste secum agi putent,
variisque ineptiis, frequentius summa rerum inopiâ, ine-
ptiam suam propugnare annituntur. Memini quippe,
nuperrime adhuc Studiosum quendam Theologiæ & Lu-
dimagistrum, qui torum conjugalem præpropere conscen-
derat, quæsitum, cur Medicinam faciendo falcem in alie-
nam messem mitteret, respondisse, man werde ihm ja sein
bißgen Brod nicht nehmen.

§. 23. Hos autem Medicaistros observamus dupli-
cis classis, sc. vel in publicum & scenam prodeuntes, & per
compita, vicos, oppida, provincias ac Regna vagantes, quos
ideo erroneos, circumforaneos, cerdones, circulatores,
Saltibancos, *Marchschreyer* &c. appellant: vel tenebriones
illos antidodactos & sciolos, qui illis peritiores & honesti
magis videri volunt, plus minus latentes, sedem fixam ma-
gis in pagis & urbibus colentes & peritia medica aut omni-
no nulla, aut levioere tantum, instructi, qui ausu tamen te-
merario satis medicinam clam palam exercent, & ex cala-
mitate infirmorum, Medicorum genuinorum cavillationi-
bus, fraudibus ac detrimento, uno verbo ex Reipublicæ
damno, victum & amictum sibi quærunt.

§. 24. Quorum priores à Legibus publicis infames
declarantur, v. g. *L. 1. ff. de his, qui not. inf.* utrisque autem,
quia negotium periculo plenum temere suscipiunt, cum
nihilominus, monente *Cajol. 8. idemque juris, §. mulionem*



1. ff. ad Leg. Aquiliam, affectare quisquam non debeat, in quo intelligit, vel intelligere debet, infirmitatem seu infirmitatem suam aliis periculofam futuram, & juxta *Ulpianum* L. *Illicitas* 6. §. *sicut* 7. ff. de offic. *presid.* & L. *si servus* 27. §. *si calicem* 29. quicquid per imperitiam illi commiserunt, imputari debeat. Quemadmodum olim non nisi à Magistratu electos ac approbatos medicinam exercere potuisse, *Carrarius de Medic.* & *illius offic. part. 3.* §. 1. 9. & 11. perhibet, cui *Ann. Robertus rer. judicatar. lib. 1. c. 5.* adstipulatur, it. *Imperator Carolus V. constit. criminal. artic. 134.* Qualis idem Imperator &, annotante *Boudevvyns ventilabri med. theol. part. 2. quest. 4.* aliiq; Brabantia Ducis variis legibus atque edictis caverunt, ne quis Medicus ad praxin admitteretur, qui in Universitate quadam gradum ad minus Licentia non sit adeptus, illaque laudabilissima edicta Anno 1659 ab Antvverpiensium Magistratu de novo promulgata fuerunt.

§. 25. Quos secuti Principes Imperii diversi in suis Constitutionibus ac Legibus provincialibus, v. g. *Wirttembergenses*, *Landes-Ordnung tit. 5.* Alle und iede / so in der Arzney nicht ordentlich studiret / noch ihrer Geschicklichkeit von der Universität sondere Zeugnisse oder mitgetheileter Graduum gnungsame Urkund haben / sollen sich in unserm Herzogthum / ohne unsere Erlaubniß und Zulassen / Leib- Arzney zu üben und Arzney zu geben / gänglich enthalten. Item *Saxo-Gothavi*, *Landes-Ordnung tit. 6.* Wir wollen ernstlich und nicht allein bey namhafter Geld- sondern auch / nach Gelegenheit / schwerer Leibes- Straffe / und hierneben sonderlich bey Verlust alles dessen / was zu dergleichen Curen gehörig / gebieten / daß niemand / wer der auch seyn mag / sich unterstehe / den Leuten weder um Geld / oder Geldes werth / Geschenke oder Verehrung / oder auch umsonst / Arzney in den Leib zu geben /

ben/ auch die Obrigkeit/sonderlich Râthe in Städten/ keinen/
der sich Arzney-Eingebens gebrauchet/ unter ihnen dulden ꝛc.
Quemadmodum nec Saxonia nostra ejusmodi Erronum
feu Medicastrorum coercionibus destituitur, dum Sere-
nissimus Elector & Dux Saxoniae, Augustus, p.m. An. 1580.
Lipsiensem & Wirtebergensem Facultatem Medicam jus-
sit, fleißige Aufsicht zu haben/ daß das practiciren und Krancke
zu curiren nicht ohne Unterscheid iederman/so der Arzney zum
öfftern unerfahren/ und kein Testimonium publicum erlan-
get/ solte verstattet und zugelassen werden: quod itidem vo-
luit Christianus primus p. m. in Constitutione 1588. pro-
mulgata, wie es auf der Universität Leipzig mit Lehr/ disci-
plin &c. His verbis: Uns gelanget an/ welcher Gestalt egli-
che Magistri und andre/ so gar keinen Gradum haben/ in der
Stadt und auf dem Lande bey euch zu curiren sich unterstehen
sollen. Damit nun solches zu treiben nicht iederman/ ohne
Unterscheid/nachgelassen und die Gefahr und Schaden/ so den
Patienten hieraus erfolget/ verhütet und abgewendet werden
möge/ so wollen wir/ daß hinführo die Practica in der Medicin
allein den Doctoribus und Licentiatis Medicinæ, und nicht
denen Magistris oder auch andern verstattet werden soll/ sie hät-
ten denn von unserer Universitäten einer ꝛc. *Quales Consti-
tutiones in Visitationum Academiae nostrae decretis non
tantum, in specie de Anno 1616. & 1658. sed in Statutis
pariter Facultatis nostrae, reiteratas legimus, Statut. 22. de
Doctoribus inhabilibus ad Facultatem, praxin tamen hic exer-
centibus, & Statut. 23. de Circumforaneis & Empiricis, nimi-
rum ut Doctorum alibi promotorum nullus praxin hic exer-
ceat, nisi prius de sua Promotione publica & legitima,
Decanum & Facultatem per exhibitionem authenticæ do-
cuerit &c. Empiricorum verò nulli, nisi in quo Decanus &
Consilium Facult. Med. peritiam deprehenderit & proba-*



verit ejus, quod instituit seu pollicetur, medicinam facere, aut medicamenta vendere, vel ægrotos medendi causa adire, concedatur.

§. 26. Et mirum profecto est, imò stuporem incutit, quod vitam & sanitatem ejusmodi Medicastris concre-
dant homines sanæ mentis, sociis nempe novis, incognitis, imperitis, mulierculis quoque, quos clanculariè tantum agere, & publico potius edicto ejiciendos ac expellendos norunt, præ Medicis notis, bonæ famæ & eruditis, sicque spem salutis incertam, imò mortem, ab iis pretio emant: cum neminem adeo stultum arbitrari liceat, quin, ubi alteri aliquid mandandum foret magni momenti, ejus rei peritum atque gnarum maxime sedulo perquirat. *Nullus est, inquit, Thurrianus, qui suos agros villico, rusticarum rerum inexperto, nullus, qui adificationem alienissimo ab Architectura, nullus, qui pecunie procurationem & dispensationem hujusmodi rei imperito commendet.* Sane, qui in desperatis morbis circumforaneos & agyras implorant, similes sunt naufragium passis, qui ex anchoræ amplexu salutem sibi pollicentur: cum ejusmodi hominum temeritas vagæ tantum empiriæ innitatur, quod carnificum est, qui artem suam sola pariter experientia addiscunt. Id est, Medicastrum omni destituuntur doctrina, quales cum *Eunucho* quærere liceret, *quomodo scire poteris, cum nemo de docuerit? Mira res est, scribit S. Hieronymus, Fullones, metallarios, fabros, lignorum cesores, ipsa quoque vilia opificia exercentes, absque Doctore esse non possunt, nec experiri audent, que non noverunt: sola est medendi ars, quam sibi passim unusquisque vendicat &c.* Et quod in his similibusque artibus mechanicis, etiam infimis atque sordidis, exactè observari solet, ut, qui eas exercere cupiunt, omni prius studio examinentur & specimina congrua edant; id in arte omnium nobilissi-

lissima, cui corporum salus est commissa, negligitur: dum adeò levis ac facilis censetur, ut nullum sub magistro requirat exercitium, aut tam vilis, ut, quæ vel minimis rebus impenditur, ei uni non impendatur, sedulitas; ut per consequens infeliciores hominum conditio videri possit, quod ipsorum vitæ minus, quam aliis extrinsecis & sæpius nullius momenti rebus, prospectum atque cautum sit.

§. 27. Habentque proin, advertente *Freitagio*, etiam hoc cum carnifice potestatis commune Medicastrum, homines videlicet accepta mercede occidere, atque ex homicidio, unde supplicium leges cunctis statuunt, præmia capere. Hoc saltem interest (monente *C. Agrippa*) quod Carnifex non, nisi ex iudicum sententia, interimat facinorosos, isti verò rudes veteratores, sub prætextu & persona medici, præter omne iudicium perimant etiam insontes. Ridendo verum dicit de illis *Phædrus Fabul. Æsop. lib. 1. fab. 14.* occasione Veteramentarii seu Sutoris imperitioris, qui, cum ex Opificio suo amplius vivere non potuerit, Medicinam facere sumebat:

*Malus cum sutor inopia deperditus
Medicinam ignoto facere cepisset loco,
Et venditaret falso antidotum nomine,
Verbosis sibi acquisivit famam strophis.
Hic cum jaceret morbo confectus gravi,
Rex urbis, ejus experiundi gratia,
Scyphum poposcit: fusa dein simulans aqua,
Antidoto miscere illius se toxicum,
Hoc bibere jussit ipsum, posito parmio.
Timore mortis ille tunc confessus est,
Non artis ullæ Medicum se prudentiæ,
Verum stupore vulgi, factum se nobilem.
Rex advocata concione hæc addidit:
Quanta putatis esse dementia,*

Quæ



*Qui capita vestra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commiserit pedes.*

§. 28. Inficiari nemo poterit, temerarios ejusmodi non rarò juvare fortunam, horumque remedia aliquando auxilium desideratum præstare: Ast nolo impræsentiarum fortunæ fallacis & casus recensere, regero tantum, unde tibi tu, nunc, promittere poteris Deam illam propitiam? fortuiti casus, in natura perinde ac arte subinde evenientia, monstra, regulas medicas sicut non constituunt seu formant, ita nec turbant, seu infringunt, i. e. juxta *Ausonium*:

Qui si emerferunt,

Evasere quidem fati ope, non Medici.

Seu, ut *Aristoteles* *metaph. 2.* loquitur: *Fabrum sanitatem fecisse, accidens est, quoniam non est aptus ad sanitatem faciendam faber, sed Medicus.* Nisi, quemadmodum *Bernier* *Essais de Medec. partic. 2. chap. 15.* perhibet, cum illo agonizante, cui apostema internum suffocationem minabatur, asina verò casu cameram, ubi hic decumbebat, subintrans, strepitu & anhelatione sua tantas pariebat anxietates concitabatque rictus bestię declinandi conatus, ut hinc naturæ motus adjutus ruperit abscessum, sicque excreta materia morbifica moribundus ille quasi revivixerit, quis non Medicum, non Naturæ robur, sed Mulam, reconvalescentiæ suæ autorem, dicere malit? Numerentur & computentur funera quoque ac infirmi illi, qui aut nihil opis ab agyrtis ejusmodi perceperunt, aut in deterius etiam conjecti fuerunt: quorum numerus reconvalescentium tabulas longe superabit, seu absorbebit. Nonne periti ac genuini Medici quotidie infirmos sanant varii generis ac pathematis? quia tamen destituuntur gestorum suorum buccinatoribus, imo hos formidant, illorum miracula horum medelis dogmaticis prævalent. Gloriatu v. g. Em-
piri-



piricus de Electuario antifebrili, medetur etiam per hoc febribus, non verò ambitioni & avaritiæ propriæ; medentur alii Medici per Corticem Peruvianum aliave appropriata febribus pariter, sine illo Electuario: quid paradoxo, quæso, suberit medicinæ illius præ horum remediis; nisi quod de illo lucri causa ille multum jactitet, reliqui suis modestius & sine strepitu utantur. Æstimantur non raro à vulgo pragmatici forenses meri, fundamentis juris destituti, & qui per experientiam tantum aliqualem, eamque superficialiam satis, cognitionem aliquam ejus sibi compararunt, quos quia, quæ Legibus pulchre constituta sunt, corrumpere & depravare, *Ciceronis* jamdum querela fuit, causidicos & rabulas degeneres atque Jctorum simias ajunt prudentiores: cur nostris simiis vanam & levem ex plebis applausu invidemus gloriam?

§. 29. Quærerem potius, quæ causa hujus calamitatis, nisi mox obviam foret *Pattin lettre 118. c'est la faute des juges, qui les (agyrtas) suffrent*, adeo quidem ut de Officiali quodam Regio eminentioris Ordinis & Nominis *lettre 149. scribat: Il est mort de la main d'un Charletan, lui mesme dont la charge estoit de chasser cette sorte des gens &c. & Ab. Fritsch. medic. pecc. c. 1. In culpa autem sunt Magistratus, qui vagam ac publico perniciosam licentiam medicandi non coërcent, & ἀπειθεῖς ac vera artis protinus ignaros impostores à Republica expellunt.* Nemo ad praxin Juridicam hodie facile admittitur, nisi tentatus & examine comprobatus: cur grassari patiamini in corpora vestra & vestrorum tot agyrtarum temerariam inscitiam? *Cur sutori, ait, Freitagius, vel alii, qui sartoriam non didicit, aut eam exercendi jus sibi non comparavit, in civitate non licet eandem exercere? cur id & similia tam studiosè prohibentur, & interim cuilibet, etiam stupidissimo, artem Medicam exercere fas sit,*

D

fit,



*fit, ex cuius usurpatione ab ignavis tantum impendet periculi,
& cuius recte exercendi & docendi privilegium Imperiali au-
toritate solis doctis & Doctura ius obtinentibus confertur?*

§. 29. Suffulcit hanc Superiorum conniventiam &, ut cristas agyrtae alacrius erigant, facit sine dubio vulgi ruditatis, qui tales pro Medicis habet, qui non sunt. Nisi enim Impostores ejusmodi nossent homines varia, imo non raro spectatoris, conditionis se stupidiores & torpidioris iudicii, qui ad solum mysterii seu secretioris remedii, quod jactant, auditum illorum medelam poscerent, temeritas eorum brevi & sponte corrueret. Meminique magnae simplicitatis ac ruditatis empiricum, cum aliquando penes Virum eruditum ac prudentem praxin suam depradicaret, in specie, quod demens aliquis medelae suae se submiserit, ab hoc responsum tulisse, nisi stolidus esset, qui medelam à te expectat, Medicum te nunquam voluisset. Verum Medicos ipsos quoque ejusmodi suis simiis aliquando, aut connivendo, aut hos advocando, in consilium trahendo, causam dicere, res stuporis plena, & omnem fidem ac rationem superat: Vera tamen eloquor, pharmacopolas v. g. opifices etiam, secreta somniantes, à parvis aequae, ac magnis Medicis Magnatibus ac subditis commendari. Quare? non assequor: forsan per eorum ignorantiam, aut, quod deterius ac toti arti turpe, per abblandiendi libidinem &c. Et sic perditio nostra est ex nobismet ipsis.

§. 30. Egi haecenus sub terminis generalioribus contra Medicastro, inter quos Pharmacopolas, qui aegrorum medelam suscipiunt, & sive eosdem visitando, sive pharmaca, sub quocunque (nisi summae necessitatis) praetextu, porrigendo, singulares compositiones & secreta jactando, his paradoxas virtutes adscribendo & per mundum circumforaneorum stylo exclamando, medicinam exercent,

cent, numerant Medici omnes, v. g. *Camerarius memorab. med. cent. 1. part. 52. Rod. à Castro Med. Polit. l. 2. c. 4. Primeros. de error. vulgi in medic. l. 1. c. 3. Freitag. Noct. med. cap. 20. S. Pauli de Offic. medic. pharmac. & chirurg. Bosselius amalth. medic. polit. appar. 3. c. 17.* neque sine legum quidem publicarum autoritate, v. g. Imperatoris *Caroli V.* edicto de Anno 1540. *Ne quis apothecarius agros visitet, aut illis absque Medici consensu medicamen porrigat.* *Ordinationis Bavari- ca provinc. 3. tit. 11. artic. 3.* Es sollen die Apotheker vor sich selbst und ohne Erlaubniß der Doctorn sich nicht unterstehen die Leute zu curiren/ selbst Recepte zu ordnen/ und das Amt ei- nes Doctoris zu gebrauchen. Cui parallelæ observantur, die *Hessische Medicinal-Ordnung 1617. Leipziger Apotheker- Ordnung 1669. Ringauische Apotheker-Ordnung 2c.*

§. 31. Atque hæc quidem non sine fundamento sancita esse, rationes varii generis ostendunt, omnes tamen in eo collimantes, ut, dum Medicus, notante *Sattlero dissert. de iure & privil. Med. persona est à Republ. per insignia Docto- ralia approbata est,* qualem nemo Pharmacopolarum se ta- lem venditare valeat: adeoq; licet dolus directo in hoc ab- sit, tamen per culpam & imperitiam in eum redundet, dum se immiscet rei minime ad se pertinenti, *ff. de regul. jur. l. 132. §. eod.* & quidem in difficultatibus hominum, ubi minime vagandum *L. illicitas 6. §. sicut 7. de offic. presid. pharmaco- polam,* qui medicinam ullo superius explicatorum modo- rum exercet, limites artis suæ transilire, & negotium hanc transcendens ambitiose, nunquam sine culpa, affectare do- ceant.

§. 32. Quippe primò Pharmacia' equidem Medici- næ pars, non verò totum hujus, est; utpote quæ plura & majoris momenti involvit. Deinde aliud est instrumenti cujusdam præparationem nosse, aliud nosse genuinum ejus
D 2 usum,



usum, seu hoc dextrè administrare. Proin haud sufficit, gaudent bonis medicaminibus Pharmacopœi, E. commode hæc applicare sciunt: perinde ac non quilibet, qui equum generosum tenet, equitem, multo minus equisonem, se jactare valet; novaculam, modiolum, forcipum & forficum quam aptissima genera qui cudit, de tonsoris & Chirurghi peritia ideo gloriari nequit; gladium, hastam, qui conficit, gladiatorem si se venditaret, risui omnium se exponeret; nec corarius materiam calceis conficiendis præparans sutoris opificium profitetur. Præscribere E. & formare medicamenta toto cœlo differunt. Et per consequens sicut inter artes mere magisque mechanicas una observatur, quæ securim, scalprum, terebram parat, alia, quæ lignis discindendis, lævigandis, perforandis hæc adaptat; alia, quæ clavos fingit, alia, quæ asseres mediantibus his compingit; chartam conficit chartarius, cui literas inscribit typographus, hisque exprimit non sui, sed eruditioris animi, sensa: ita & longe differunt, qui Clysterem præscribit, nunc emollientem seu laxantem, nunc consolidantem & adstringentem, & qui eundem parat atque applicat Seplasiarius, cui & cur injiciendus, nescius, nisi sutor ultra crepidam & Apothecarius, per commune adagium, extra pyxidem sapere velit.

§. 33. Quibus tertio accedit, quod præscripta à Medico mutare, & in his unum alteri substituere, ab omnibus Legibus publicis Pharmacopœis interdicitur, quod hoc ultra sphæram & peritiam eorum sit: Quibus igitur in remedio aliquid mutare integrum haud est, quomodo Medico, Naturæ ministro, parem se gerere poterunt, nisi avaritia aut fastu turgidus ejus, non naturæ, minister; cum *nefas sit*, admonente *Bosselio l. a. cap. 17. Ministrum agere Medici actiones.* Nimirum sicuti Pharmaceutica ars Ministra est
Me-

Medicinæ, sic Medici minister seu amanuensis est Pharmacopœus, simili modo, ac *Galenus 2. de sanit. tuenda cap. 17. & 21.* Pædotribam Gymnastæ & Coqvum Medici ministrum pronunciat. Quarto, quod potissimum, ignari sunt artis medicæ Pharmacopœi, perinde ac medicaltri omnes; quod huic addiscendæ nunquam vacarint, nec ejus doctrinam ulli unquam legitime comprobendam dederint: i. e. artis fundamentis necessariis destituti in Rempublicam pro veris Medicis se ingerunt, affectando seu exercendo hoc, in quo imperitiam suam aliis periculosam futuram in conscientia foro convincuntur. Qualis quidem ausus quinto in temerariis ejusmodi majorem reprehensionem meretur, quod vigore omnium Constitutionum publicarum non admittantur ad sui muneris & Artis Pharmaceuticæ exercitium, nisi suam in hac peritiam Medicis ac Pharmacopœis peritioribus comprobarint & testimoniis authenticis docuerint, jubentibus hoc *Constit. Medicinal. Hasfac. c. 10. & Ludovic. von Hornigk Polit. Med. tit. 6* nisi que magistratui juramento fidem promiserint: præsumant nihilominus facere medicinam, cujus fundamentorum specimen nullum unquam dederunt, testimonia publica exhibere nequeunt, nec juramento Medicinæ se addixerunt; quæ cuncta nihilominus præstare tenetur & præstat omnis Medicus genuinus. Inepta temeritas! *Addo ego, ait S. Pauli de Officio Medic. Pharmac. & Cbirurg. decorum esse, unumquemq; manere in suo ordine, apud Lucianū alicubi legi, Platonem etiam velle, unumquemque sua in Republica agere debere. Sic Medici est, dignoscere morbum, imperare commodam dietam, demum medicamenta præscribere, v. g. Clysterem; quod pharmacopœi non est: Sed cujus est, eum miscere, ut fiat clyster, mox eundem paratum, exquisito oculorum sensu, vesica bubula inditum, explorare illius attemperatum calorem,*



rem, post dein eundem l. a. intrudere, congruenter decenter-
que, minime verò illius explorare pulsum, urinam inspicerè;
cujus neque est apud profanum vulgus de morbi causis differere,
multò minus ægris mederi. Sic Pharmacopœi non est præscri-
bere Medicamenta, cujus neque est Mercurium sublimatum,
Arsenicum, Euphorbium poscentibus ac ignotis emptoribus di-
vendere &c.

§. 34. Præ Pharmacopœo plus scientiæ Medicæ
quamvis sine dubio teneat, aut habere debeat, Chirurgus,
si nomen suum operi respondere ambiat, huic nihilomi-
nus pariter non tantum à Medicis Patavinis, si forsan ab his
Licentiam petierit, ut negotio intrinsecus medendi impe-
rito, in Privilegio, Pharmaca per os ægris dare & Physici
munus unquam obire interdicitur, imò ad hæc sancte cu-
stodienda ille juramento obligatur: sed in nostratium,
quoque Chirurgorum Examinibus, & dum Magistri suæ ar-
tis creantur, ne, nisi in casibus necessitatis, per interna re-
media affectibus internis magis mederi audeant, prohibe-
tur. An hujus sui officii & jurisjurandi semper memores exi-
stant, disquirere nolo, cum penes nos & hæctenus ad mini-
mum satis modestos se gerant nostrorum plerique: quique
secus agunt, personatos Medicos seu medicaistros pronun-
ciant jura, juramentum præstitum seu conscientia propria
& sana omnium Prudentum ratio.

§. 35. Tria saltem assequi nequeo, nimirum primò,
quomodo & cur olim factum, ut iisdem Chirurgis, qui o-
mni jure ab affectuum p. n. per medicamenta interna me-
dela removentur, cura nihilominus binorum graviorum
morborum, Scorbuti nimirum & Luis gallicæ, ita conceda-
tur, ut de his in Examinibus publicis, vi suorum Statuto-
rum, etiam respondere teneantur? Unde evenit, ut eorum
nonnulli ad tantam protervitatem elati fuerint, ut nomi-
natos

natos affectus soli curandos non modo suscipiant, sed, quasi ad Medicos minime spectarent, temerariè propugnent. Alterum, quod in Chirurgis vituperandum, quia non tam malitiæ & arrogantia, quam levitatis & præcipitantiæ, effectus videtur, an ideò medicastris eos adscribere debeam, ambigo: dum aliquando in affectibus, quorum medela ad se spectat, ægros non tam ad Medicum ablegent, ut ab hoc, quid agendum, petant, quam ut utrique horum quasi præscribant, indicationes forment, remedia inveniant, nimirum purgandum esse, sudoriferis opus &c. ut jussa eorum potius exequatur Medicus.


§. 36. Tertium, quo muneri atque autoritati Medicorum detrahunt Chirurgi, non horum, sed Legislato- rum potius quorundam, culpa fit, qui horum in deponendo super Vulnerum Lethalitate similibusque fidem ac peritiam Medicorum peritiæ parem, imò hac majorem, voluerunt: dum Chirurgorum vel Tonforum judicio aut tantum ac præ Medicorum, aut horum depositione vel plane non, vel, nisi concurrentibus & consentientibus Chirurgis, standum esse, jusserunt; quamvis nonnullos JCo- rum ab hac sententia recessisse, in propatulo sit. Quia tamen de hac re olim jamdum *in dissert. Medico - Forens. 1. egi*, illius paradoxo ulteriorem impugnationem in præsentiarum detrecto, illud tantum subnectens: Tunc temporis & cum leges hæ conderentur, aut Medicos in re Chirurgica fuisse rudiores justo, cujus tamen contrarium ex horum Commentariis apparet; aut quid Medicina, quid Chirurgia, ignorasse Legislatores, & ad hanc usque diem ignorare eorum interpretes, quod officio Medicorum præter omnem rationem derogent, insciorum vero & tantum non invidorum Chirurgorum humeris onus impar imponant.


§. 37.



§. 37. Atque hæc de Medicastris differere argumen-
tum dicendi præsens jussit, ubi de Medicorum munere,
disquirendum mihi erat; modo inter hos non similia illis
reperirentur monstra & rerum medicarum quam maxime
rudes homunciones, ut penes sagaciores & cordatos Viros
integrum semper manserit inter Medicum & Medicum e-
ruditum discrimen, sit tamen hoc sine injuria dictum.
Pro me loquentur & injuriarum actionem declinabunt
Medici duo, magnæ autoritatis & fidei, *Bruno* nempe *Sei-
delius de Morbis incurabil. & Primirosius de errorib. vulg. in
Medic.* uterque causam hujus ignorantia cordate explicans.
Prior p. 69. postquam de Medicis imperitis egerat, his ver-
bis: *Hujus mali causa & culpa non postrema in Academiis ha-
ret, quæ titulos & dignitates tribuunt interdum ineptissimis
& c. Posterior* quia peculiari & integro *cap. 3. de Doctoribus
Medicis*, adeoque prolixius, eam recensuit, in chartam de
charta hanc transcribere chartularum præsentium angustia
disvadet. Imò si hac de re in jus raperer, Patrocinium
spondet & causam geret, *Job. Christoph. VValther. de statu,
juribus & privileg. Doctor. cap. 12. §. 73,* ubi medicos quos-
dam gradus seu titulus ex largitione emere tradit, perinde
ac *cap. 11. §. 63.* penes Jctos quoque aliquando fieri do-
luerat. Favorem demum Judicis in hac lite mi-
hi pollicetur justitia causæ.

S. D. G.





D1 A 6540

ULB Halle 3
002 937 247




Sb.

W17







No 29.

I. N. 7.
DE
MEDICI OFFICIO
DISSERTATIO PRIMA,

Quam
PRÆSIDE
JOHANNÉ BOHNIO,
Med. Doct. & Prof. Publ.

Disquisitioni Philiatrorum exponet
M. JOH. CHRISTIANUS *Sehmann*
Budissin. Med. Baccal.

In Auditorio Majori

D. 12. Febr. 1697.

LIPSIÆ,
Literis FLEISCHERIANIS.

